Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26001
Copyright: Admont, Benediktinerstift



diabolus nuncupatur a fidelibus abrenunciatur
ut dno liberi saluatori seruiatur. quia iuxta
eiusdem dni uocem. nemo potest duobus dnis
seruire. Abrenunciatur etiam operibus eius. quia
opera illius contraria sunt operibus saluatoris. Nec
minus interea pompis eius abrenunciatur.
quicquid opera sunt satane. sed eo quasi discerni
uidentur a ceteris operibus eius. quia in eius superbia.
cuius ille auctor est. et quia eum deiecit. quodammodo
designantur. Pompe igitur eius sunt ambicio.
arrogantia. uana gloria. et cetera huius
modi. quia a fonte superbie procedere noscuntur.
Fons quoque baptismi similitudinem ge
rit sepulchri xpi. quod nouum fuisse le
gitur. Quicumque in eo consepelitur xpo. et ei
cum resurgit. secundum eundem apostolum in noui
tate uite ambulare debet. Cuius fontis
sex gradus. tres in descensu. tres
noctes. et tres in ascensu. tres dies
significare uidentur. Idcirco autem
baptismus non iteratur. quia xpc non amplius
quam semel moritur. Peccata enim que post baptis
mum committuntur penitentie lacrimis.
elemosinis. ceterisque bonorum operum ex
hibitionibus non baptismatis iteratione
delentur. Dominico interea corpori se
peliendo mundissima linteamina et
aromata adhibentur. quia et is qui xpo con
sepeliri desiderat. si iam etas permittit.
quamuis mortuus sit per originale pecca
tum quod adhuc portat. debet tamen
bonorum operum exhibitione flagrare.
et mundis indui uestibus de quibus propheta
sacerdotes indui orat cum dicit. Sacer
dotes tui induantur iusticia. Quia ergo omnia
in baptismi ratione redolent mysteriis
et exuberant sacramentis. oportunum erat
ut nouus homo noua acciperet uestimenta.
et purgatus ueteris noxe colluuione. candi
darum uestium indueretur nitore. Moyses
enim aaron et filios eius prius aquis lauit. et
post lineis induit uestimentis. quia et noster uer
moyses qui populum de egyptia seruitute de
gentilitatis uidelicet errore liberat.
qui est mediator dei et hominum. sui nos ine
narrabili sacramenti unda purificat.
et bonorum operum indumentis exornat.
Baptizatorum itaque capita chrismate lini
untur. ut in regno et sacerdotio ecclesie de
libuti. et xpiani nominis prerogatiuam
accipiant. et eius membra qui eos redemit. et
eorum caput est effici ualeant. Capita itaque
eorum qui regenerantur ex aqua et spiritu sancto.
mystico uelamine teguntur. ut eis per
petrum dicatur. Vos estis genus electum.
regale sacerdotium. gens sancta populus ad
quisitionis. Et hoc uelamine. et diadema
regium. et sacerdotalis capitis uelamentum
significatur. et quia per caput mens plerumque
in sacro eloquio accipi solet iuxta il
lud. respicite. et leuate capita uestra.
Mens renatorum et regie dignitatis orna
menta. et sacerdotalis uerticis habeat
tegimenta. ut et contra uicia sacerdotali
uelamine muniatur. et uirtutum gemmis
spiritaliter exornetur. et unctione sacro sancti
chrismatis liniatur. Quibus etiam septifor
mis gratie spiritus per chrismatis unctionem